



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.1. Officium de cruce aut passione Domini, stas temporibus religiosè
recitare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

§. I.

Officium de Cruce aut Passione Domini, statim temporibus religiosè recitare.

Hujus Officij plures invenio formulas. Nam in primis in vulgaribus libellis precationum Pij V. permissa editarum circumfertur Officium de Cruce, subjunctum Officio parvo B. Virginis: cujus quidem autorem S. Bonaventuram facere videtur Octavianus de Magistris, in oratione de ejus rebus gestis coram Sixto IV. habitâ: dum ita loquitur: *Contemplatione S. Ludovici Regis Francia, Officium de Cruce devotissimum edidit; quod ab Ecclesia nullo immutato receptum, in ea solemnitate ubique legitur.* Videnturque sanè hymnorum rhythmus Seraphici Doctoris pietatem ac spiritum redolere: quanquam inter ipsius opuscula, non hoc, sed aliud (ut dicam) Dominicæ Passionis Officium, ab eo compositum referatur; nec satis conijciam, quam Crucis solennitatem innuere velit Octavianus, in qua id officij ubique in Ecclesia recitetur.

*P. 3. Opusc.
edit. à VV.
ding.*

Deinde inter opuscula Seraphici Patris S. Francisci, extat Officium Dominicæ Passionis ab eo compositum, constans solis ferè Psalmis Davidicis, sed pro temporis festorumve Christi diversitate, nonnihil variandis. Quod fortè illud est Officium Crucis, quod à S. Francisco didicisse, ac frequentasse B. Claram, in hujus vita fertur his verbis: *Ut autem Crucifixi delicijs absque intermissione pasceret mentem, orationem de quinque plagis Domini frequentius ruminabat; Officium Crucis, prout crucis amator Franciscus instituerat, didicit, & affectu consimili frequentavit.*

Cap. 20.

Nec scio satis, istudne Crucis Officium, an potiùs vulgatum illud, quod in gratiam S. Ludovici Regis S. Bonaventura composuerit, familiare haberet alter S. Ludovicus prioris nepos, ex S. Francisci Ordine: quem utique ab

adoleſcentia legimus, Officium Dōminicæ Paſſionis expanſus brachijs recitare conſueſſe.

Rurſum, ut dicebamus, parte 2. opuſculorum Seraphici Doctōris, aliud extat Officium de Paſſione Dōminicæ, conſtans hymnis, pſalmis, lectionibus, &c. ab eo tum S. Franciſci, tum quod ab Eccleſia proponitur, longè diverſū.

Atque iſti affine quoddam Officium in Theſauro ſacro P. Thomæ Salliſij à Societate noſtra, parte 2. quod cum illo S. Bonaventuræ conferenti, apparebit ad illius imitationem eſſe compoſitum, imò partim ex illo deſumptum; cū ferè ijsdem conſtet hymnis & orationibus; alijs tamen pſalmis ac lectionibus, prout opportunum viſum eſt, ſubſtitutis; nonnullis etiam minutioribus partim adjectis, partim detractis.

Poſtremò dicitur etiam Alexander Cardinalis Vrſinus preces quasdam Horarias de Paſſione Dōmini compoſuiſſe, ac quotidie recitaſſe. Quæ quales fuerint, adhuc deprehendere non potui. Extant porrò, & legentur utiliter, Horæ Paſſionis Dōminicæ à R. P. Leonardo Leſſio auctæ & recitari ſolitæ.

§. 2.

In honorem Dōminicæ Paſſionis, coronam (quam vocant) Dōmini noſtri percurrere.

PLures ſunt iſtius modi coronæ, à pijs Crucifixi amatoribus, ad renovandam honorandamque patientis JEſu memoriam, excogitatæ: quarum aliquas hoc loco ponam, gratiâ exempli:

Prima eſt corona Dōmini Jeſu, ad exemplar coronæ Virginicæ, orationibus Dōminicis triginta tribus, & quinque Angelicis ſalutationibus conſtans. Quam in memoriam triginta trium ſpinarum, quæ Redemptoris noſtri caput præcipuè lancinaverint, ante annos centum circiter &

Z 2

quin-